DE INFLAMMATIONE

SINUUM FRONTALIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

DIE VIII. MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCXLV.

PUBLICE DEFENSURUS EST

MARTINUS INFANGER,

URANIENSIS.

TURICI,

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI.

1845.

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

CAROLO PFEUFER,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE RUPERTO-CAROLINA CLINICES PROFESSORI P. O.

PRAECEPTORI DE SE MERITISSIMO

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Meditanti mihi jam pridem, quam ex re medica a majoribus jam ab omni parte explorata dissertationis materiam eligerem, ut, si non ingenii, saltem diligentiae et studii specimine dignior ad ineundum vitae sacerdotium emergerem, institutionibus clinices experientissimi Professoris C. Pfeufer casus talis oblatus est, qui rarioris observationis occasionem dedit. Huic diligentius animum adverti, hocce opusculo meo primo, quod ritus ad obtinendos in arte medica honores, a majoribus traditus, exposcit, typis mandaturus.

Itaque abhinc casus, quales eo pertinere arbitratus sum, ab iis scriptoribus, quos accipere potui, commemoratos, collegi, figurisque anatomicis ea organa, de quorum morbo hic agitur, in conspectu posui.

Viris clarissimis, Professoribus meis fautoribusque pie colendis, DDr. Pfeufer, Locher-Zwingli, Hasse, Engel, qui in his conaminibus mihi adstiterunt, gratias hic publice ago quam possum maximas.

Vos, Lectores benevoli! ut aequi hujus opusculi mei primi judices sitis, nec obliviscamini, juvenili tantum judicio, experiri inchoante, illud perscriptum esse, etiam atque etiam rogatos habeo.

Antequam ea aggrediar, quae ad statum organorum pathologicum pertinent, aliqua verba de justa vitae ratione eorum praemittenda mihi videntur, quae inseram capite primo; dein morbum ipsum describam et tertio capite mentionem observationum descriptarum mearumque faciam.

Caput I.

Anatomica quaedam et physiologica.

Supra radicem nasi, inter utramque tabulam ossis frontis sunt duo cava diversissima magnitudine ac forma, quae, quales sint, eminentia glabellae arcuumque superciliorum fere conjici potest, extus intusque saepe inaequalia, diversa laminarum crassitie, sublata, depressaque, nonnunquam parvis magnisve laminulis varie dissecta, drachmarum circiter trium fluidi alicujus capacia, quae aliquando tamen usque ad suturam coronalem et longe retrorsum in partem orbitariam porrigunt, ut exempla exstant in museo anatomico Parisiensi. Sutura longitudinalis, quae os frontis infantile dividit, septum sinuum restat, quod interdum perforatum et in alterutram partem recedens reperitur. Raro sutura apparet in adulto. Habet foramen supra septum ossis cribrosi, quod communicationem habere videtur cum sinubus ante dictis, et cavo narium, id quod jam descripsit Verheyen et figura illustravit. Quod recentiores foramen coecum vocavere, venas emissarias transmittit ex sinu venoso longitudinali cranii; atque etiam per foramina laminae cribrosae venae descendunt ad septum narium, ut injectionibus peritissimus F. Arnold demonstravit. Ad incisuram laminae horizontalis ossis ethmoidei parietalem ascendit canaliculus in sinus, surculum e nervo nasociliari et vasa continens. Delineationem sinuum videre licet in Schneideri Lib. III. Haec cava, membrana pituitaria nervulisque tenerrimis vestita, ad utrumque septi narium latus foraminibus clare conspicuis patent, quae canales descendentes adeo angusti, ut vix specillo intrare possem, sub concha narium media determinantur. (Vide figur.)

In infantibus post partum sinus frontales nondum indicati inveniuntur, et serius quam omnes sinus tanquam continuatio cellularum ethmoidalium inter laminas ossis frontalis sese insinuant. Septimo anno quidem inchoantes semper, adolescunt usque ad perfectam pubertatem, plus minusve interdum etiam serius, ceteris sistentibus, et cum parietibus osseis, quod tanquam resorptione substantiae intermediae spongiosae fit, etiam membrana pituitaria dilatatur. Sinus cuncti, ut docuit Doellinger, faciei humanae formarum proportionem, pulchritudinem et characterem maxime adjuvant, quae incerta adhuc in infantibus sunt. Qua re

inducti phrenologi in regionibus frontis inferioribus varias intellectus et artium facultates dilucere opinati sunt, cui vero opinioni equidem non assenserim, propterea quod cava sunt vacua, ad apparatum narium pertinentia, organo facultatum illarum carentia, imo amplitudine sua cerebrum coarctantia.

Atque differentia quoque sinuum minus quidem conspicua cernitur sexu, qui, si masculinus est; eminentiam arcuum superciliorum et glabellae magis evolutam, sin vero femininus, omnes partes glabriores minoresque ostendit.

Usus horum cavorum, ait Verheyen, adhuc incertus est; crediderim in iis latitare mucum istum, cujus saepe magnam copiam per nares excerni videmus. Sunt quoque, qui putent, ista cava facere ad olfactum et vocis resonantiam. Haud quisquam dubitabit, secretum defluere ex illis plus minusve, qui sinus membrana pituitaria investistos, canalique emissario praeditos cognoscere discebat, multo minus, si fistulas vulneribus relictas esse legerit; id quod etiam de aliis sinubus accessoriis narium constat. Sunt autem foramina illorum ita disposita, ut, sive caput servemus erectum, sive retrorsum, sive antrorsum, sive in alterutrum latus inclinemus, denique in quocunque capitis situ ex uno semper eorum cavorum ad humefactandas nares effluat humor necesse sit; ita Morgagnius. Hoc enim constat, olfacere neminem posse, nisi membrana Schneideriana humente. Quamquam ipsi secretio muci propria est, ne frequentissimis respirationibus exsiccetur, muco tamen accessorio indiget, et, fors sit an, ut mixtione amborum secretorum melius explicentur odores. Sed non obliviscendum est, nervum olfactorium, quantum adhuc visum est, ramulos suos per superiores nasi partes dispergere, ostium autem canalis sinuum frontalium excretorii sub concha media situm, inferius esse. Attamen mucus non est inutilis, quia experimenta docent, olentia, in inferioribus narium partibus transvecta, facilius comprehendi, quam superioribus locis. Aliam quoque opinionem habeo, quae attinet calorem, sive aurae olentis, sive muci ipsius; nam olfactus evanescit frigore nimio, in recessibus autem cavis aura minus commota, serius quoque refrigeratur.

Olfaciendi quidem facultate carere sinus ipsos credo, cum nervuli huic sensui proprii non usque ad eos pertinent, nec vero tangendi, quia ex quinto pari fila persequi in illos possumus valde sensibilia.

Ut diutius remaneat odoratus, sinibus fieri, ut opinatur Haller, incertius est. Ad vocis autem sonum nihil illos afferre plurimi recentiorum consentiunt. Id saltem videmus, naturam in apparatu narium superficies quam latissimas efficere contendere, id quod ad ipsa usque ossa pertinere videmus, quae etiam leviora eo evadunt quoad pondus.

Caput II.

De inflammatione sinuum frontalium.

His cognitis, facile quisque intelliget, morbos, qui in narium membrana possunt oriri, etiam sedem, etsi rarius, habere posse in tunica sinuum nostrorum, ergo et inflammationem. Quamvis ejus symptomata fere similia sunt in naribus et sinibus propter partium communicationem et aequalitatem; differunt tamen ab illis ratione effectuum et sanandi methodo; cum amplae narium aperturae, angustae e contra sinuum excretoriae sint. Si intuemur conformationem sinuum frontalium, quos natura ubique parietibus osseis tutissimos praestitit et tantummodo canaliculo angusto aperuit, morbis immunes fore videntur; attamen variae causae, varia morborum genera suppetunt, quae omnia praeteribo, acturus de sola inflammatione et de iis, quae eam pariunt.

Causae.

Mucus ille, qui intra sinus paratur, propter angustiam, aut obstructionem canalium, aut concretionem, aut compressionem ab inflammationibus vel tumoribus vicinis retineri et exitus illi praecludi potest. Id enim fiet muco crassiori et tenaciori, a coalitu post ulcus aut vulnus praegressum facto. Ex aliis quoque cuique gnaro rei medicae maxime patet, luem veneream creberrime ossibus insidere, maximisque devastationibus negligentem deturpare, nec etiam ignotum erit, eam, quasi stigma sceleris, in fronte et naso semet non nunquam infigere, nec desunt observationes destructorum lue sinuum, inferius addendae. Causae, quae catarrhum aliis membranis pituitariis afferunt, possunt etiam hujus membranae inflammationem catarrhalem progignere. Venio tandem ad corpora aliena dicta, sive sint intus genita, sive extus admota. Rariora quidem sunt haec per tabulam osseam penetrantia, neque extracta per vulnus, sed frequentiora per canalem irrepentia seu pulveres irritantes seu, quod saepius narratur, insecta animalia. Nam ova insectorum, docuit Boerhavius, cum aëre, cibo, potu in corpus ingesta, pituita intestinali mixta, aut securiora in cavis remotis condita, fotu, quiete, calore exponunt vermes, qui sugendo, movendo, vellicando. rodendo, terebrando, nervos irritant, solida vulnerant, subitosque tumores procreant.

Inter intus genita nominantur etiam lapides, siquidem in omnibus corporis humani secretionibus fieri potest concretio. Deinde polypi quoque hac membrana nascuntur, qui

ductus comprimere possunt, ita ut mucus intra sinus paratus, et quominus effluat, impeditus, jugi secretione facta, accumuletur, tunicae pituitariae vasa premat, inflammationem moveat; eo magis, si repagula ossea dilatationi intus factae nimis resistunt, quin muci quaedam acrimonia irritando, coarctando vasa membranae succingentis, inflammationi ansam potest praebere. Sed et mole sua polypus inter ossea repagula inclusus, et in iisdem assidue increscens, tandem osse coërcente, nec cedente comprimatur necesse est, ita ut compressis vasis, polypi circulus sanguinis sufflaminetur, unde inflammatio, suppuratio et materiae purulentae varius exitus oritur.

Decursus morbi.

Signa inflammationis sinuum frontalium incerta valde sunt, cum membrana affecta ex omni parte oculis manibusque latet, quare symptomata primaria, rubor tumorque, sensus nostros fugiunt, nisi inflammatio jam partes exteriores corripuerit, aut suppuratione abundante parietes cavi dilatati fuerint. Dolores frontales, caloresque variis aliis affectionibus proprii sunt. Attamen si in uno vel altero, vel ambobus sinubus, ceteris immunibus, valde sensibilis dolor adest calens, pulsansque, suspicio est, ibi exstitisse inflammationem. Quodsi dolor, calor, pulsatio magis usque augetur, cum accedente quadam febricula praesentem esse inflammationem in his locis eo minus est dubitandum. Secretio muci sistit, si aut exitus coalitus, aut in primo stadio inflammatio est, in secundo, si membrana madet, nescimus, utrum sit in sinibus secretio an in naribus.

Quodsi inflammatio adhibitis tam externis, quam internis remediis non sufflaminetur paucis diebus, in statumque integrum restituitur, abit in suppurationem, et haec mutatur in abscessum.

Effusa haec purulenta materies, si ductus excretorii inflammatione non sunt compressi, nec coaliti, per emissarias aperturas ex sinibus et naribus effluet, nec vero alia mala procreabit, nisi coryzam plerumque foetentem, respirationemque ingratam efficientem. Sin autem, ut plurimum fit, foramina obruuntur, vel membrana pituitaria ipsa intumescente, vel concrescente, materia, hoc loco diu clausa, incipit se movere, vicina erodere et exitum sibi parare, id quod etiam in cavis firmissimorum et crassissimorum ossium, quemadmodum in spina ventosa, aliisque in casibus luculentur apparet. Necessario inde sequitur sinus tam muco, quam materia purulenta, perpetim generata, sensim sensimque impleri, deinde ossea repagula cavum sinuum formantia extendi, et ultra pristinos terminos dilatari. Eadem haec materia per diurnam remoram acrior facta, consumpta membrana pituitaria periosteoque, erodit osseos terminos, cariem relinquit, et in naris cavum, vel versus exteriora exitum quaerit. Illud prius in senioribus magis, posterius apud juniores primis aetatis annis ob ossa tenuiora

contingere, facile intelligitur. Atque etiam caecitatem oculorumque dolores inde effecti esse traduntur.

Si huc adventum est, minus incerta est diagnosis; sed etiam fieri potest, ut laminae osseae anteriores haud videantur dispares, sed distentio regrediatur inter laminas orbitarias minoris crassitiei causa, et sic morbus evadat periculosissimus, eo magis, quod, membrana pure consumpta, dolores fiunt obtusi, nec alia imminet molestia; qua de causa et remissionem aegroti opinantur, respuentes omnia ad sanationem oblata. Sed et subito finditur lamina morbosa et pus cerebri velamenta propellit, aut si etiam ea dilacerata sunt, in cranii cavum profluit, unde extemplo animi deliquia, paralyses et denique mors affertur. Sin vero distentus prominet sinus in fronte, ne accidant dicta, perforatione praecavendum est. Dum vero haec posteriora fiunt, necesse est, ut aegrotus exquisitos dolores sentiat, quia externa integumenta ossis implicantur in morbum. Nec febris potest esse exigua. Quam primum purulenta materia viam exeundi sponte vel arte paratam invenit, symptomata enumerata minuentur quidem, attamen, si via, per quam exit, angusta tantum est, hinc effluxus materiae purulentae tantummodo parcae cessare prorsus non potest. Sin autem, clauso foramine emissario, per latus sinuum anterius pus profluit, vel arte etiam exitus factus est, fistulam fieri educentem mucum sinuum, exsiccato etiam pure, patet, de qua jam Celsus mentionem fecit: »Ubi enim vix fieri potest, ut non per omnem aetatem sit exulceratio,« nisi ope artis aperiuntur viae naturales.

Therapia.

Deliberantibus nobis, quae instituenda sint, ad sananda, et, quantum fieri potest, in integrum reducenda organa morbis afflicta, primo, ut in omnibus aegrotantibus fieri oportet, investigandum stabiliendumque esse visum est, quae, quod saepius difficillimum est negotium, sit causa morbi primaria, quoniam medendi methodus alias alia instituenda est, et si ignoratur, non modo irrita sunt remedia nostra, sed justo lentius trahitur haud raro malum, aut etiam majori usque aegroti periculo progreditur. Si inflammatio cum lue venerea connexa est, methodo antiphlogistica, auxiliis Mercurii aliorumque luei infestissimorum remediorum instructa, utendum esse, non est, quod pluribus exponam.

Aliter tractandus est morbus e causa, quae dicitur, catarrhali, sive in sinubus exorsus, sive in eos progressus. Tum enim omnino interest, quo sit in statu inflammatio, quando artis subsidia petuntur. Si enim exitus cavi non coaluit, sed jugiter manat, et si suspicio deest, insecta dolorem in fronte movere, certe, etsi etiam magna sit deformitas, methodo antiphlogistica uti sufficiet, secundum extensionem morbi liberalius instituenda. Primum autem semper praestat applicatio hirudinum, quae vulgo in regiones, ubi dolor

sentitur, aut calor et tumor percipitur, apponuntur. Cum autem paries anterior sinuum non est perforatus, et vasa sanguifera, quae oppleta sunt in sinubus, non ipsa evacuantur derivatione sanguinis in fronte aut radice nasi superficiali, meo judicio applicandae sunt illae bestiolae iis locis, ubi conjunctionem immediatam vasorum ex anatomicis novimus, scilicet ad septum narium. Id etiam semper moneo, cum ex cavo ipso sincipitis sanguis subtrahendus est. Idque facili negotio sine metu aegroti tubulo vitreo fit, cujus apex angustior curvatus est. Dein speciebus emollientibus calefactis ad frontem adhibitis vel lacte tepido in nares attracto aut resolutio adjuvanda, aut si jam incepit, pyogenesis maturanda et ad finem perducenda est.

Saepe etiam a causa violenta, praesertim ictu quadrupedum in frontem, inflammatio proficiscitur; attamen quae inde consequi possunt incommoda, frigore arte facto aut glacie retardari et debilitari, aut omnino evitari oportet.

Si vero tabula sinus est fracta et frustula ejus eruta ictu, vix remediis dictis ad finem medicus veniet, et si forsan tempore praesente eo veniat, serius orituram esse suppurationem verisimile est. Quo facto enim, aut si vermiculorum certiora adessent signa, terebrare sinum, ultimum, quo erat jam Valisnerius usus, esset remedium. Nam quomodo sternutamenta et errhina aliter agant, quam irritando, conquassando, non intelligo, et tantummodo vermem in meatus narium inferiores prolapsum spastica illa propulsio secum trahere potest, quod etiam forcipe idonea manu ducta, et quidem sine irritamento fiet.

Fluidis attractis vermes dilui posse, non satis mihi probabile est, si revera habitant in sinubus, de quibus loquor, nisi essent canales solito ampliores.

Spem vero aliquam posuerim in Nicotiana, quam experientia novimus illis inimicissimam et principio narcotico mitigantem dolores. Saepe etiam, si solummodo vehementiora inflammationis symptomata frenari possunt, natura sibi ipsa quaerit rationem corpora aliena foris movendi, vel dilatando canales angustiores, vel suppuratione patefaciendo viam insolitam; cujus rei sat exstant exempla. Sed si etiam certiores simus facti, exitum naturam ipsam esse paraturam, nec metuendum sit periculum improvisum, non cessemus, cum subsidia oblata cognoverimus, accelerare finem. Nec igitur periculosa videtur trepanatio, cum desunt, quae illam difficilem efficiunt in cranio applicatam: quae sunt velamenta et cerebrum. Neque alia organa sincera a cauto chirurgo laeduntur, nec haemorrhagia funesta minatur. Qua de causa sententiae celeberrimi Langguth, qui membranam sinus aëris contactum, vulnerationemque sine singultu, convulsione ferre non posse contendit, suffragari nequeo. Non autem negabo, modiolum non semper esse idoneum parvumque satis, attamen vitrum modioli vice fungi potest, ut experientissimus jam explicavit Theden, in primis pro locis inaequalibus, angulatisve. Ubique locorum enim fragmentum vitri recens accipere possumus, quo fricamus os tegumentis nudatum usque ad perforationem, quam aliis instrumentis aptis

dilatamus adeo, ut vel sat hiet puri effluenti aut vermi extrahendo. Facta tandem terebratione, et amotis corporibus irritantibus, si sinuum muco patent viae naturales, vulnus consuendum est sutura cruenta, et vix impedimentum cicatrici obstat, cum situs ita est sinuum, ut secreta pondere suo cadant in canalem patulum. Quando autem is obstructus est, H. Welge, ut orificium vi aperiatur, chordis distendatur, aut quod facilius effici possit, reliquiae membranae pituitariae cauteriis inflammentur et suppurationi dentur, suadet.

Caput III.

Historia.

Jam apud antiquissimos de re medica scriptores haud pauca exstant monumenta litteris expressa, quibus docemur, homines atrocissimis doloribus aliisque symptomatibus gravissimis afflictos, simulac unum pluresve ejecerint vermes, statim malo levato pristina gavisos esse valetudine.

Morgagnius credit, in sinubus frontalibus vixisse alios, alios e ventriculo in dormientis nares irrepisse vermes, qui in scholiis scriptorum antiquorum intra crania humana habitasse et ejecti esse per nares memorantur. Hominibus aliquando accidere, ut vermes in ejusmodi locis capitis dolores afferant, olim Arabes de Indorum medicorum sententia tradiderunt, nominatim Avicenna. Etiam Aegineta »ex vermibus dolores excitari quidem, neque in cerebro generari« putavit. Cum autem nec a Morgagnio ipso nec a Vesalio innumeris dissectionibus inventum esset, casus paucos fide dignos denotandos esse Morgagnius arbitratus est.

In his unus est a Littrio et Maloerio observatus, qui vermes ex genere centripedum vehementes dolores creantes ex naribus ejectos viderunt. Henkelius quoque curculiones duos eadem via prodeuntes observavit, quos e floribus arctius ad nares appressis ovula suspicatur in narium recessus esse attractos. Et ante illum Gahrliepus eodem cum levamine vermiculos e naribus ejectos, quoniam persimiles esse vidit iis, qui ex muscis proveniunt, a musca matre deduxit. Idem vero diffitenti, quod non hujus loci est, addam, quod ipse Morgagnius de muscarum larvis in meatu auditorio narrat.

Historia similis in actis Academiae Caesarianae litterariae commemorata est. Sic et Morgagnius Valisnerium audivit, terebrato osse et verme praedicto magna cum adstantium admiratione educto, dolores feliciter sustulisse atrocissimos.

Bartholinus puellam annorum XXVIII. sternumentis a vermibus binis vivis et simul doloribus vehementissimis liberatam, et alias lapides in sinubus concretos vidit. Les mèmoires

de l'académie des sciences de Paris renuntiant observationem feminae cujusdam, quae dolores ad radicem nasi periodicos per annos duos, postea continuos sensit, qui adeo crescebant, ut animi deliquia convulsionesque sequerentur; cum autem Nicotianae herbae pulvere usa esset per mensem, sternutationibus frequentissimis vermem expulit in globulum contractum, cruore humidum, nullo detrimento relicto. Razoux memoriae prodidit, feminam correptam esse subito febre vehementissima, doloribusque frontis maximis, continuo crescentibus, donec sternumento albidos exposuisset vermes septuaginta duos, similes omnino illis, qui reperiuntur in capite ovium. Aegrota confessa est postea, se bibisse ex palude aquam paulo postquam grex ovium adaquatus fuisset. Eique casui haud absimilem Wrisberg in cadavere puerili vidit.

Fernelius quoque de ea re exponit, qui etiam ex foediori quadam illuvie diutius cohibita vermes genitos esse contendit, eorumque igitur causam ulcus praevium fuisse asserit. Huic praeterea Sennertus adstipulatur. Benivenius Philippum quendam sibi amicum post pestiferum capitis dolorem vermem palmo longiorem ejecisse, quo propulso omnis remotus sit languor, memorat.

Maxime mirandum exemplum in praelectionibus Boerhavius enarravit: »Rotterdami »terribile in puella exemplum exstitit, cui omnes sex sinus pituitarii vermibus pleni fuere, »qui de hora in horam increscebant. Hanc sanavi fumo leviori cinabarino et tabaci cum »aqua decocto per nares attracto, quo continuo coëgi animalia, ut de naribus desilirent.«

Neque tamen vermes solum, sed et varii generis insecta ibidem sunt deprehensa. Etenim cuidam ex frequenti odoratu Basilicae herbae scorpionem in capite natum esse, qui denique mortem attulerit, Hollerius narrat. Forestus adducit Corn. Rotterdamensis exemplum his verbis narratum: »Beniventis cum multi ignoto morbo vita decederent, tandem medici hoc »morbo interemptum inciderunt, et in hujus cerebro invenerunt vermem rubrum brevem, »quem cum multis medicamentis, vermes occidendi vim habentibus, occidere nequirent, tan»dem frusta raphani incisa vino malvatico ebulliebant, quo vermis occidebatur. Atque »eodem hoc remedio deinde simili modo quasi epidemico affectos omnes curabant.« Ipse autem auctor Bononiae chirurgum cranium aperientem curculionemque ex eo auferentem vidit.

Sauvages scolopendram alacriter circumeuntem pedibus quindecim depellere tabaco expertus est. Franc. Hildesheimius tredecim quondam vermes villosos, sive lanuginosos vivos, instar erucarum sive oniscorum, quos auriculares vulgus vocat, per nares et aures prodiisse, quos ipse aegrotus digitis apprehensos extraxerit, memoriae tradidit. Aegrotus quidem medico referebat, se saepius bene potum noctu in gramine dormiisse: addebat et hoc, se aliquando in paludem incidisse cum equo, ibique pene suffocatum, extractum tamen ab itineris comite, ita fuisse liberatum. Praetereo historias, quas de ea re Fabricius ab Hilden, Tulpius, Dr. Lindern tradunt.

His exemplis, quia plurima a veterioribus notata sunt, fides detrahi videtur eo, quod rariora a posterioribus observata sunt. Sed animadvertendum est, tabaci herba, sive fumante, sive pulverata, quam his animalculis infestissimam cognovimus, temporibus novissimis fere omnes homines plus minusve uti, et sic inscios quasi prophylacticum adhibere.

Sed nihilominus extant etiam in recentiorum scriptorum libris exempla, quamvis rariora. Blumenbach suo discipulo H. Welge haecce communicavit. Femina nobilissima Gothana, per integrum annum nefanda affligebatur cephalaea, subinde adeo ingravescente, ut saepe prae dolore contremisceret, et parum abesset, quin animo linqueretur. Simul vero olfactum perdiderat, quae omnia hystericis affectionibus tribuebantur. Variis incassum tentatis medicaminibus, die trigesimo mensis Septembris 1782 nares emungens cum insolita muci copia vivam excrevit scolopendram electricam eamque adultam: eodemque temporis momento de molestae vacuitatis insuetae sensu intra glabellam et nasi radicem conquesta, feliciter postmodum insequente tam cephalaeae levamine quam olfactus restitutione, vixisse.

At satis de vermibus. De corporibus extrinsecus admotis Haller narrat in observationibus pathologicis. Filiae cuidam fusus in sinum frontis penetravit, et apex restitit sanato vulnere. Post novem vero menses eo loco orta est inflammatio, et tandem abscessus, qui diluebat corpus illud alienum. Leguntur in Ephemeridibus naturae curiosorum frustula ferri per annos nonnullos in sinubus retenta, tandem per nares esse egressa. Tumorem emphysematicum a vulnere in his regionibus relictum Dupuytren tradidit, et Maréchal fistulam a causa violenta factam esse cognovit.

Rungius Bremensis posteris tradidit: a parente suo post exquisitos capitis dolores praegressamque febrem inflammatoriam in loco ossis frontis inferiore, supra oculum non procul a naso, tumorem frequentissimum observatum esse, qui apertus exploratusque ad cavum ossis frontis pertigisset, et ab eo, gnaro fistulae futurae, per turundam solutione lapidis infernalis balsamoque arcaeo madefactam totam membranam destructam cicatricemque consecutam esse.

In adultis autem, idem auctor pergit, dolor erat obtusus, calidi rubicundique apparebant oculi, et venaesectione ac cataplasmatis emollientibus, interdum oleo Hyosciami, opus erat, denique mucilaginosis et adstringentibus.

Aliam observationem Richter tradidit. Viro quinquaginta annorum bene valenti superior palpebra oculi sinistri sponte et subito adeo intumuerat, ut tota livida tumidaque ad mediam fere usque genam dependeret. Cum ceterum nihil molestiae et incommodi sentiret, oblata remedia respuit. Dilapsis quatuor diebus stupidus, somnolentus, loquendi facultate motuque brachii, femoris et cruris dextri penitus privatus repertus est. In media oculi sinistri palpebra orificium parvum ulcerosum conspici poterat, quod ante ingentem puris copiam eructarat, jam vero comprimenti paucas puris guttas effundebat. Explorationem vetantibus

amicis, noctu sequente periit. Incidenti cadaver ostendit in superiori orbitae margine foramen penetrans in sinum. Specillum recta immissum vix ad pollicis longitudinem progressum est et pertingebat per alterum adversum foramen ad cerebrum; dextrorsum vestigans in sinum dextrum minus amplum veniebat. Magna puris copia effluxit. Ejus rei causam investigare cupienti responsum est, ante duos annos frustulum calybis magno impetu in hunc locum insiliisse et abhinc hominem saepissime de dolore obtuso in fronte conquestum esse et subinde aliquas puris guttulas e naribus stillasse.

De polypo in sinubus frontalibus Levret casum descripsit.

Inflammationem lue venerea complicatam H. Welge narrat in dissertatione sua. Judaeus quidam XXVII. annorum gonorrhoeam syphiliticam circiter menses VIII. negligens, variis jam ab initio symptomatibus cruciatus est, quae circa sinus frontales convenerunt et inflammationis chronicae vocari possunt, eo magis, cum e naribus etiam liquoris copia non ita multo post effluereet. Aestate adveniente remissione gavisus est. Mox vero occubuit sensationi in sinistro cavo furenti cum sternutationibus et animi deliquiis, vomitu, symptomatibus soporosis et paralyticis. His iterum remittentibus, excepto dolore in fronte obtuso, sub finem mensis Augusti inopinatis doloribus atrocissimis in naribus et orbita vexatus est, conjunctis cum inflammatione oculi protuberantis et tumore palpebrae superioris, qui intuitum oculi impediebat. Speciebus emollientibus adhibitis in regione sacci lacrimalis apertura haud naturalis incredibilem puris copiam nullo cum levamine effundere coepit. Vulnus dilatatum accuratius examinanti particulas ossium segregatas obtulit. Quibus sublatis totus sinus ingentis fundus apparuit, ut versus posteriora duorum pollicum magnitudinem adaequaret et cum specillo incurvato usque ad tubera frontalia et planum semicirculare progredi liceret, intacto autem septo intermedio et sinu dextro. Methodo antisyphilitica progressus morbi inhibiti sunt, sed remansit tamen communicatio hians cavi cum naribus et sinubus maxillaribus.

Memoriae prodendum actum notavit Bouger in annalibus medicinalibus Schmidtii. Faber ferrarius, vir validissimus, ictum accepit equi ad radicem nasi, in quo inflammatorius tumor exilis ortus mox cessit. Post annos duos tumor in medio arcu superciliari exulcerans quasi polypus propendens crevit cum accedente fistula. Qua dilatata, polypoque exstirpato, ossis frustulum quoque extractum est. Annis quatuor praeterlapsis, loco illius crevit alius polypus, qui cutem extendens imperforatam oculum totum contexit. Incidenti apparuit polypus flavus mucosus, cujus radix per foramen ossis penetrabat cum duobus ossiculis solutis. Terebrata lamina sinus, chirurgus radices omnes defricuit et alios polypos exstirpavit in cavo narium. Post hebdomades septem cicatrix solida fuit.

H. Roestli, jam per duos fere menses catarrho membranae pituitariae nasalis affectus, obstructos narium meatus sensit, secreto pituitoso exiguo profluente. Ante dies octo siccitas narium et obstructio auctae sunt, accedentibus sinuum doloribus, latius usque serpentibus,

quos frequente tabaci usu domare studebat. Nudius tertius epitaxis secuta est. In nosocomium Turicense receptus die 21. Februarii 1844 rubicundum oedematosumque nasum et glabellae tegumentum ostendit, cum sensatione siccitatis et obstructionis valde molesta. Cavum et orificia narium angustiora incrustata. Dolor vehemens calensque glabellam et circumjacentes regiones vexabat, qui augebatur tactu. Caput gravatum occupatumque aegrotus sensit, quo factum est, ut visus alienatus depressusque videretur. Horripilatio totius corporis accessit, deficiente cibi desiderio, sitique crescente. Pulsus aequales parvi nonaginta. Lingua muco albido obducta tenui, cum accedentibus parvis vomitandi irritamentis. His certiores facti de inflammatione membranae pituitariae narium et sinuum frontalium, instituimus diaetam, applicarique hirudines decem ad glabellam et radicem nasi jussimus, fumigationesque decocti herbae althaeae attrahi.

Die XXIII aegrotus levationem reperit, praesertim doloris in fronte media et regionum vicinarum. Vomitandi irritatio evanuit. Sedes diebus binis cessantes provocantur Magnesiae sulphuricae ℥j soluta in aquae destillatae ℥ij cum Syrupi mannati ℥j. Fumigationes continuantur.

Die XXIV naris dextra secernere incipit, quamvis dolores, obstructio et siccitas non evanuerint. Pulsus paene normales. Sedes tres. Emplastrum cantharidum ordinarium in nucha affigi jussum est.

Die XXVI melior erat status universalis; remanebat tantum paululum doloris et siccitas lateris sinistri. Quare in usu remediorum ante dictorum perseveratur et

Die XXVIII iteratur applicatio hirudinum duodecim. Quo factum est, ut tempore brevissimo valetudine integra homo gauderet.

Epicrisis.

Persuasum quidem mihi habeo, inflammationem sinuum non semper signis sic conspicuis se manifestare, neque adeo celerem fieri decursum, praesertim cum diversissima est hominum sensibilitas et ratio naturae reagendi; attamen non dubito, medicum memorem symptomatum ante explicatorum, et momenta anamnestica perpendentem non incertum manere de praesentia hujus morbi. Saepe autem dolor periodicus in praedictis regionibus est unicum signum, quod percipitur ab aegroto ignaro morborum, quare ei nullius momenti esse videtur dolor ille remittens, et auxilia artis medicae respuuntur, donec inflammatio jam fecit sic dictum exitum et puris copia magna genita est, quae interdum subito negligenti mortem affert, ut casu a Richtero ennarrato docemur.

Auctores comparati * citatique.

Acrel's chirurg. Vorfälle, übersetzt von Murray. B. I. p. 17.

*Acta Academiae Caesar. T. IV. observ. 30.

*Aegineta, Libr. IV. C. 57.

Albini de ossibus corp. hum.

*Avicenna oper. omnia. Libr. III. Fen. I. tract. 2.

*Bartholini de Moor, de instaur. medic. Amst. 1695.

Benivenius, de abdit. nonnull. mirand. morb. caus. Cap. C.

*Blumenbach, prolus. anatom. de sinib. front.

Boerhave, praelectiones academ. V. II. §. 19.

» » ad institut. §. 792.

Cannstatt, spec. Path. B. III. de Ozaena.

Celsus, de medicina. Lib. VIII. Cap. IV.

*Commercium litt. Norimb. A. 1739. Hebd. 21. II. n. 3.

Dictionaire des sciences med. Tom. 51.

*Fernelius, Univers. med. Cap. VII. pag. 439.

Forestus, Med. theoret. et pract. L. IX. observ. 2. Schol.

*Gahrliepus, Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. A. 8. observ. 141.

*Gemma Cornel. in apend. cosmotr.

Haller, Disputat. chir. Select. T. I. pag. 200.

» Geschäfte des körperl. Lebens. Sec. XIV.

Heisteri Chirurg. Cap. de Ozaena.

*Henkel, Acta natur. cur. B. 3. observ. 141.

Hildebrand, Lehrb. der Physiol.

*Hildesheimius, de cerebr. et capit. morb. inter Spic. I.

Hollerius, Oper. pract. Lib. I. Cap. I.

Krause, Handbuch der menschl. Anat.

Langguth, Programma de sin. front. vuln.

Lauth, Handbuch der Anat.

Martin, Dr., über Migraine, bearbeitet von Dr. Fleck.
*Memoires de l'Academie des sciences. Paris 1708.
Morgagni Adversaria anatom. V. animad. 89.
» Epistolarum de dolorib. Cap. I.
Müller, J., Physiologie.
*Palfyn, de ossib. Cap. XIV.
*Razoux, Journal du Med. 1758. pag. 415.
Richter, Observat. chir. fasc. II. Cap. IV.
Runge, Dissertat. de morbis praecip. sin. front. Rintelii.
*Salzmann, Dissertat. de verm. narib. expuls. §. 4. 5. 6. 11.
Schmidt's Jahrbücher. B. 36.
Schneider, de catarrhis f. 1. p. m. 484.
*Schulz, de cavitat. oss.
*Sennertus, oper. omn. Tom. II. Libr. I. Cap. 8.
*Soemmering, Tab. anat.
Theden, neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereich. der Wundarzneikunst. Theil II. pag. 22.
Valentin, Lehrb. der Physiol.
Verheyen, Anatom. tract. V. Cap. II.
Welge, de morbis sin. front. Gött. 1786.

Theses defendendae.

Typhus sine medicamine curari non potest.
Digitalis est diureticum.
Paracentesis pectoris rejicienda.
Sinus frontales nihil ad olfactum.
Vera Mosis sententia: „Vita hominis in sanguine."
Qui demerguntur in aquis, inspirando moriuntur.
Venaesectionis methodus secundum Marshal Hall optima.
Quod medicamenta non sanant, nec ferrum nec ignis sanat.
Keratonyxis omittenda est.
Non sunt morbi topici.
In typho sunt stadia.
Medicus se ipse curare nequit.
Diaphragma nihil ad partum.
Non datur Chirurgia.

Explicatio figurarum.

Fig. I.

a. Meatus nasalis superior.
b. » » medius.
c. » » inferior.
d. Sinus sphenoidalis.
e. » frontalis apertus.
Directio ductus excretorii in meatum nasalem secundum aperti stylo notatur.

Fig. II.

Ductus excretorius apertus.


e
d
a
b
c